

Distinctio X

/Vb 176rb; X 338a/ “Nunc post Filii aeternitatem”, etc. Postquam Magister tractavit de persona Patris et Filii, hic tractat de persona Spiritus Sancti, et circa hoc tria facit, secundum quod tres sunt proprietates Spiritus Sancti, spiratio, missio, et donum. Agit ergo primo de spiratione, secundo de missione, et tertio de dono. Secundum facit distinctione 14: “Praeterea diligenter”; tertium distinctione 18: “Praeterea diligenter considerandum est”.

Circa primum facit quatuor, primo enim comparat spirationem ad suum terminum inquirendo utrum Spiritus Sanctus emanet ut amor. Secundo com-**/Vb 176va/**-parat ipsam ad principium inquirendo utrum Spiritus Sanctus procedat a solo Patre vel simul a Patre et a Filio. Tertio comparat eam ad modum inquirendo utrum melius et plenius procedat Spiritus Sanctus a Patre quam a Filio. Quarto comparat ipsam ad suum disparatum, quod est generatio, et inquit quomodo spiratio et generatio distinguantur. Secundum facit distinctione 11: “Hic dicendum”; tertium distinctione 12: “Item quaeritur”; quartum distinctione 13: “Post hoc* considerandum”.

Circa primum tria facit. Primo namque ponit intentum ostendendo quod Spiritus Sanctus sit amor. Secundo inquit an esse amorem sit commune tribus personis vel Spiritui Sancto proprium. Tertio redit ad intentum ostendendo Spiritum Sanctum esse amorem mutuum Filii et Patris. Secundum facit ibi: “Et ideo quaerendum”; tertium ibi: “Nunc vero quod incepimus”.

Dicit itaque primo quod disserendum est de Spiritu Sancto, et est tenendum in summa quod est Patris et Filii dilectio sive charitas sive amor, unde commune insinuat charitatem, qua invicem se diligunt **/X 338b/** et Filius et Pater et ad hoc facit quod dicit Ioannes in sua Canonica I capitulo 4, dicit enim quod Deus charitas est, et si dixisset Spiritus Sanctus charitas est, clarior esset sermo.

Postmodum ibi: “Et ideo querendum”. Magister inquit utrum esse amorem sit commune, vel spiritui sancto proprium; et facit tria. Primo enim ostendit quod est commune toti Trinitati, quamvis approprietur personae Spiritus Sancti, dicens quod sicut Pater et Filius et Spiritus Sanctus dicuntur una sapientia, ita simul omnes dicuntur una charitas, nec tamen propter hoc inconvenienter Spiritus Sanctus charitas appellatur, sicut et verbum dicitur sapientia, quamvis omnes tres sint una sapientia; charitas namque et sapientia idem sunt, quod substantia, sive in Patre sive in Filio sive in Spiritui Sancto, et tamen Spiritui Sancto appropriatur quod charitas nuncupetur.

Secundo ibi: “Pluribus enim exemplis.” Magister declarat quod dictum est per exemplum, dicens quod sicut legis nomine aliquando significantur omnia eloquia veteris testamenti, ut Ioannes 15 dicit Salvator “ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis”, ibi: quod scriptum est in Psalmum*, dicitur scriptum in lege: aliquando autem legis nomine Pentateuchus proprie appellatur, iuxta illud Ioannes I: “Lex per Moysen data est.” Sic in multis similibus reperitur quod nomina communia appellantur ex certa causa, et quia hoc clarum est, idcirco supersedendum est; in re namque aperta debet sermonis prolixitas evitari.

Tertio ibi: “Sicut ergo unicum”. Redit Magister ad ostendendum quod esse amorem, et est commune et est Spiritui Sancto proprium, dicens quod in illa auctoritate I Ioannes 4: “Diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est”. Manifeste colligitur quod in Deo est dilectio, **/X 339a/** quae est ex Deo, et ita Deus ex Deo; ex quo patet quod Spiritus Sanctus est dilectio, quia Deus ex Deo. Ad idem facit etiam quod scribitur ibidem, dicitur enim quod in Deo manemus, quia de Spiritu Sancto dedit **/Vb 176vb/** nobis, ex quo infert Augustinus quod Spiritus Sanctus est illa dilectio quae est ex Deo.

Postmodum ibi: “Nunc vero quod incepimus”. Magister redit ad intentum ostendendo quomodo Spiritui Sancto congruit esse amorem, et facit duo.

Primo enim declarat hoc secundum Ioannem, qui ait quod Spiritus Sanctus est dilectio quam habet Pater in Filium et Filius in Patrem; et per Augustinum, qui dicit quod Spiritus Sanctus est sanctitas sive unio Patris et Filii, qua servant unitatem Spiritus in vinculo pacis; et per eundem Augustinum, qui ait quod Spiritus Sanctus est consubstantialis communio sive amicitia sive charitas Filii et Patris.

Secundo ibi: “Hic notandum est”. Magister huius* appropriationis rationem assignat, dicens quod non incongrue Spiritus Sanctus dicitur charitas, licet esse charitatem sit commune tribus

personis: rationale namque est ut id quod est commune Patri et Filio approprietur ei qui est amborum communio, et ita Spiritui Sancto.

Haec est sententia.

60 **Utrum Spiritus Sanctus procedat ut amor.**

Et quia Magister hic inquit quomodo Spiritus Sanctus sit dilectio, amor, et charitas, ideo inquirendum occurrit utrum Spiritus Sanctus procedat ut amor.

Quod Spiritus Sanctus sit amor incentivus sive zelus. Et videtur quod procedat tamquam
65 amor incentivus et zelativus. Sicut enim se habet actus intelligendi ad verbum, sic se habet actus amandi ad spiritum, et zelum ac incendium. Sed actus intelligendi est quasi simplex intelligentia, verbum vero quasi declarativa notitia; nec perficitur actus intelligentiae simplicis, donec emanet declarativa notitia, quae est verbum. Ergo sic est de simplici complacentia respectu incendii, et complacentiae zelativae, quod non perficietur donec illa emanet. Igitur
70 Spiritus Sanctus in divinis est amor incentivus, emanans ab amore simplicis complacentiae, qui est essentialis.

Praeterea, ex his quae experimur in nobis, conscendere debemus ad divina, cum in nobis sit imago Trinitatis; unde et Augustinus ex verbo reperto in nobis ascendit ad Verbum divinum. Sed nos experimur hunc duplicem amorem in nobis: primum scilicet cuiusdam complacentiae et
75 allectionis, qui causatur ex attractione obiecti; secundum vero incentivum et efficacem, cum virtute prioris complacentiae voluntas ad obiectum se movet. Ergo proportionaliter isti duo amores erunt in Deo, ut primus essentialis sit, et secundus personalis, et ita Spiritus Sanctus emanabit ut amor incentivus.

Praeterea, nomina ducunt in notitiam rerum. Sed Spiritus Sanctus appellatur ardor, ignis,
80 flamma, et spiritus. Ergo videtur quod emanet per modum cuiusdam incendii et zeli. /X 339b/

Praeterea, sicut est in humanis, sic ponendum est in divinis, dum tamen imperfectio non concomitetur. Sed inter homines est amor cuiusdam complacentiae, quo homo diligit proximum, et amor parentalis et zelativae amicitiae, quo mater diligit filium, in cuius aspectu liquescit et ferverescit. Ergo ultra amorem complacentiae, quo Deus diligit essentiam et omnem creaturam est
85 amor incentivus et zelativus, quo pater diligit filium, et e converso. Iste autem est /Vb 177ra/ Spiritus Sanctus. Igitur est amor incentivus.

Praeterea, talis est amor qui est Spiritus Sanctus, qualis est amor qui artificem movet efficaciter ad agendum; emanatio enim creaturarum praesupponit emanationem personarum, propter quod oportet ut Verbum sit talis notitia qualis ad producendum exigitur, et Spiritus
90 Sanctus similiter amor talis qualis movet artificem ad producendum. Sed per amorem simplicis complacentiae numquam moveretur artifex ad agendum, videmus enim quod aliquando complacemur in opere, et tamen non propter hoc movemur ad agendum donec placeat efficaciter et incentive. Ergo Spiritus Sanctus in divinis non erit amor simplicis complacentiae, sed incentivus et zelativus.

95 **Quod Spiritus Sanctus emanet ut quaedam impressio amati in amantem.** Ulterius videtur quod Spiritus Sanctus emanet per modum cuiusdam impressionis provenientis in effectum amantis de ipso amato. Sicut enim se habet verbum ad intellectualem operationem, sic se habet spiritus ad dilectionem. Sed ex operatione intellectuali provenit quaedam intellectualis
100 conceptio rei intellectae in intelligente, quae dicitur verbum. Ergo, ex hoc quod aliquis rem aliquam amat, provenit quaedam impressio rei amatae in affectum amantis, qui appellabitur spiritus.

Praeterea, Commentator dicit IX *Metaphysicae*, commento 7, quod res dicuntur esse in anima cogitativa aut anima appetitiva, ex quo patet quod res intellecta est in intelligente, et res
105 amata in amante. Sed res intellecta prout est in intelligente est verbum. Ergo res amata prout est in amante spiritus erit.

Praeterea, non est minus formativa voluntas quam intellectus. Sed per actum intellectus res formatur intra intelligentem, quae appellatur verbum. Ergo et per actum voluntatis res amata formabitur intra amantem, quae formatio appellabitur spiritus.

110 Praeterea, magis assimilat voluntas amantem amato quam intellectus intelligentem intellecto, amor enim habet transformare, sed intellectus sic assimilat quod gignit intra intelligentem similitudinem rei intellectae et haec est verbum. Ergo et voluntas producet intra amantem similitudinem rei amatae, quae spiritus dici debet.

115 **Quod Spiritus Sanctus procedat ut amor.** Ulterius videtur quod Spiritus Sanctus vere et proprie procedat ut amor, sicut enim se habet Verbum ad intellectionem, sic Spiritus Sanctus ad amorem; ait namque Augustinus, XV *De trinitate*, capitulo 17, quod sicut proprie Verbum Dei dicitur sapientia, sic charitas Spiritus Sanctus dici debet. /X 340a/ Sed Verbum sic se habet ad intellectionem quod vere et formaliter dicitur intellectio ut procedens. Ergo Spiritus Sanctus erit
120 amor procedens.

Praeterea, in his quae tangunt divinas personas, sectanda est sanctorum sententia. Sed breviter omnes sancti loquentes de Spiritu Sancto vocant eum amorem, ut patet de Augustino, *De cognitione verae vitae*, responsione penultima, ait enim quod nihil aliud Spiritus Sanctus quam amor Dei. Intelligitur et de Hieronymo super psalmos 14, qui ait quod Spiritus Sanctus
125 nec Pater est nec Filius, sed dilectio quam habet Pater in Filium et Filius in Patrem. Et de Anselmo, *Monologion* 1 capitulo, dicente quod patet amorem summi Spiritus ex eo procedere quod si memoria summi Spiritus intelligitur /Vb 177rb/ Pater, intelligentia vero dicitur Filius, manifestum est quod a Patre pariter et Filio summi Spiritus amor procedit. Et de Riccardo, VI *De trinitate*, capitulo 14, qui ait quod in illa summe simplici natura non est aliquid aliud Spiritus
130 Sanctus, et aliquid aliud amor ipsius, quid enim est Spiritus Sanctus nisi ignis divinus? Omnis autem amor est ignis, sed ignis spiritualis. Patet etiam idem ex verbis omnium Doctorum. Igitur Spiritus Sanctus procedit ut amor.

Praeterea, ubicumque est voluntas habens obiectum diligibile sibi praesens, ibi potest esse amor realiter procedens, talis namque voluntas est principium fecundum productivum amoris.
135 Sed in Deo est voluntas, cum sit perfectio simpliciter, et est divina essentia diligibilis in infinitum. Ergo erit ibi amor realiter procedens. Amor autem ille non potest esse Verbum vel Filius. Relinquitur ergo quod sit Spiritus Sanctus.

Quod nec procedat ut amor nec ut aliquid pertinens ad amorem. Sed in oppositum videtur
140 quod Spiritus Sanctus non sit aliquid pertinens ad amorem seu voluntatem, illud enim non pertinet ad voluntatem vel amorem, quod competeret Deo exclusa voluntate et amore. Sed spiratio Spiritus Sancti inest Deo exclusa per intellectum voluntate et omnibus actibus suis, inest enim hoc sibi radicaliter ex fecunditate naturae, quam fecunditatem habet ex sua infinitate, et non ex hoc quod est volens. Ergo Spiritus Sanctus non pertinet ad amorem.

145 Praeterea, illud quod non producitur a voluntate, non habet rationem amoris. Sed Spiritus Sanctus non sic producitur, quia voluntas habet conditionem oppositam fecunditati et principio productivo, est enim haec condicio voluntatis et intellectus: quod per actus eorum nihil constituitur aut producitur, sed operationes ipsae sunt fines, unde sunt potentiae non productivae, sed immanentes, ut dicitur IX *Metaphysicae*. Ergo Spiritus Sanctus non procedit ut
150 amor, aut ut aliquid pertinens ad voluntatem.

Praeterea, qualis est ordo rei inter differentia realiter, talis est ordo rationis inter differentia secundum rationem. Sed ubi natura et intellectus, et voluntas differunt realiter, productio est realiter ex vi naturae, non intellectus vel voluntatis, sicut patet in generatione filii in humanis, licet enim generet homo intelligens et volens, nihilominus productio est ex vi naturae, non ex vi
155 /X 340b/ intellectus et voluntatis. Unde etsi calor esset intelligens et volens, non gigneret calorem ex intellectu et voluntate, sed ex naturae fecunditate. Ergo etiam in divinis nulla productio erit per intellectum et voluntatem, sed ex vi naturae, et per consequens quantum est ex parte principii productivi, Spiritus Sanctus procedit necessitate naturae et immutabiliter. Non igitur emanat ut amor.

160 Praeterea, illud non procedit proprie ut amor sive per modum voluntatis, cui hoc non competit, nisi ex quadam similitudine ad imaginem quae est in nobis. Sed ita est de Spiritu Sancto, non enim propter aliud dicitur emanare per modum voluntatis nisi quia in nobis attenditur imago penes intellectum et voluntatem et actus eorum. Prima autem emanatio est per intellectum, et secunda per voluntatem, et ideo prima correspondet Verbo, et secunda Spiritui

165 Sancto. Et haec est ratio sola quare Spiritus dicitur emanare per modum voluntatis. Non igitur procedit ut amor.

Responsio ad quaestionem. /Vb 177va/ Ad questionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo namque discurretur per opiniones Doctorum. Secundo vero dicitur ad
170 quaesitum iuxta id quod videtur sub propositionibus negativis. Tertio quoque sub propositionibus affirmativis. Quarto inquiretur quomodo Spiritus Sanctus se habet ad voluntatem. Quinto vero quomodo se habet ad libertatem.

Articulus Primus

175 **Opinio Henrici, VI Quolibet, quaestione prima.** Circa primum ergo considerandum quod aliqui dicere voluerunt quod Spiritus Sanctus emanat in divinis ut amor incentivus et per modum cuiusdam zeli; sicut enim intellectus movetur a re ad notitiam simplicem, qua habita ducit se ad notitiam perfectam et declarativam, quae appellatur verbum, sic voluntas allicitur ab
180 obiecto quodam amore simplici, qui appellatur tepor aut complacentia simplex, ex hinc vero movet se ad amorem intensum et complacentiam incentivam respectu eiusdem obiecti, quae quidem potest spiritus appellari. Sic igitur Spiritus Sanctus in divinis emanat, non ut amor simplicis complacentiae, ille namque essentialis est, sed ut amor zelativus et incentivus. Haec autem opinio fulciri potest rationibus quinque superius arguendo primo loco inductis.

185 **Opinio Thomae, parte prima, quaestione 37, articulo primo.** Fuerunt autem alii qui dixerunt quod sicut dum intellectus rem aliquam intelligit provenit quaedam intellectualis conceptio rei intellectae in intelligente, quae dicitur verbum, ita ex hoc quod aliquis rem aliquam amat
190 provenit quaedam impressio rei amatae in affectum amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante, sicut et intellectum in intelligente, ita quod cum aliquis se ipsum intelligit et amat est in se ipso, non solum per identitatem rei, sed etiam ut intellectum in intelligente et amatum in amante. Sicut igitur intellectualis conceptio dicitur verbum, sic impressio amatae rei in affectum amantis **/X 341a/** potest dici spiritus, et hoc modo emanat Spiritus Sanctus in divinis. Haec autem opinio fulciri potest quatuor rationibus superius arguendo secundo loco inductis.

195 **Opinio Scoti, Scripto primo, distinctione 10.** Fuerunt quoque alii dicentes quod Spiritus Sanctus procedit ut amor infinitus a voluntate infinita quae de necessitate est in Deo, cum sit perfectio simpliciter; et cum Deus volendo beatus sit, voluntas autem est principium productivum amoris adaequati, essentia vero divina amabilis est in infinitum, ex quibus sequitur
200 quod voluntas in Divinis est principium producendi amorem infinitum. Talis autem amor non potest esse nisi Deus, nec potest esse aliquid inhaerens; est igitur persona Spiritus Sancti subsistens. Et secundum hoc amor essentialis est amor improductus et communis tribus, nec procedens a voluntate, ultra quem necesse est poni amorem procedentem a voluntate propter rationem iam dictam. Procedit itaque Spiritus Sanctus secundum hunc modum ut amor proprie
205 dictus. Et pro ista opinione sunt rationes tres tertio loco inductae.

Opinio Durandi, Scripto primo, distinctione 10. /Vb 177vb/ Fuerunt demum alii dicentes quod Spiritus Sanctus potest referri ad principia emanationum, et secundum hoc non emanat per modum voluntatis plusquam Filius, sed necessitate naturae, quia divina essentia sub ratione
210 naturae est principium utriusque productionis; vel potest considerari ordo productorum inter se, et quia in nobis intellectio primo emanat et deinde amor, praecedat enim veri cognitio et sequitur boni intellectio, propter hunc ordinem dicitur Filius emanare ut Verbum, quia ipsius emanatio prima est, Spiritus autem Sanctus, cuius productio est secundaria, dicitur emanare ut amor. Non igitur Spiritus Sanctus proprie dicitur amor, nec aliquid ad voluntatem pertinens, sed
215 similitudinarie tantum secundum istum modum dicendi qui fulciri potest quattuor rationibus supra inductis ad oppositum arguendo.

Et in hoc primus articulus terminatur.

Articulus Secundus

220 Ubi dicitur quod videtur sub propositionibus negativis.

Circa secundum autem considerandum quod praedictarum opinionum defectus poterit apparere ex quatuor propositionibus negativis.

225 **Quod Spiritus Sanctus non procedit ut amor incentivus, contra Henricum.** Prima quidem quod Spiritus Sanctus non procedit ut zelus nec ut amor incentivus, ita quod amor essentialis sit tepor aut complacentia simplex. Nullus enim amor est magis incentivus amore infinito cum infinito non sit maius. Sed amor essentialis in divinis est infinitus, cum per eum Deus sit infinite bonus. Ergo amor, qui est Spiritus Sanctus, non potest esse magis incentivus amore essentiali.

230 /X 341b/

Praeterea, nullum personale est perfectius essentiali. Amor incentivus est perfectior amore tepido et complacentiae simplicis. Ergo amor personalis non est incentivus et amor essentialis tepidus.

235 Praeterea, tepor et incendium se habent sicut imperfectum et perfectum, differunt namque gradualiter. Sed nullum imperfectum habet locum in Deo. Ergo nec amor tepidus et incentivus.

Praeterea, nulla voluntas est recta quae diligit plus illud quod non est amplius diligendum. Sed Filius in divinis non est plus diligendus quam essentia sola quae in infinitum perfecta est et tota ratio diligibilitatis est. Ergo non plus Pater diligit Filium, nec magis incentive, quam diligit essentiam. Non est igitur Spiritus Sanctus amor incentivus Patris in Filium nec e converso.

240 Praeterea, improprie dicitur quod in Deo sit amor zelativus, zelus enim non est aliud quam invidia seu tristitia de consortio circa dilectum, est enim amor qui non patitur consortem circa id quod amatur. Sed Pater non tristatur, si aliquis diligit Filium. Ergo circa ipsum non videtur habere zelum.

245 Praeterea, Augustinus dicit contra adversarium legis et prophetarum, versus finem primi libri, quod sic est de zelo respectu Dei, sicut de ira, paenitentia, et misericordia; ait namque quod Dei paenitentia non est post errorem, nec ira perturbati animi habet ardorem, nec zelus mentis livorem nec misericordia compatiens cor miserum; unde in Latina lingua nomen accepit. Cum ergo omnia ista dicantur translative in Deo et non proprie, non videtur quod Spiritus Sanctus in divinis procedat per modum zeli.

250

Quod non procedat ut impressio amatae in af-/Vb 178ra/-fectum amantis contra Thomam.

255 Secunda vero propositio est quod non procedit Spiritus Sanctus ut impressio rei amatae in amantem, actus enim voluntatis, qui est amor, non est motus rei ad animam, sed animae ad res etiam secundum sic ponentes. Unde dicunt quod processio amoris in divinis non debet dici generatio, quia intellectus fit in actu per hoc quod intellecta res in intellectu est secundum suam similitudinem. Voluntas autem fit in actu non per hoc quod aliqua similitudo voliti sit in volente, sed ex hoc quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam. Unde processio quae attenditur secundum rationem voluntatis non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis in aliquid. Haec sunt verba 260 istorum. Sed constat quod si res amata provenit in affectum amantis, tunc processio amoris erit secundum aliquam similitudinem voliti in volente, et non secundum rationem impulsus. Ergo ista duo stare non possunt. Unde non apparet quin sit repugnantia in his dictis.

265 Praeterea, isti dicunt quod persona procedens in divinis per modum amoris non procedit ut genitum vel ut Filius, quia amor non fit secundum aliquam similitudinem voliti in volente, sed magis procedit ut spiritus, quo nomine quaedam vitalis motio et impulsio designatur, prout aliquis ex amore moveri dicitur vel impelli. Sed si amatum proveniret secundum esse similitudinarium in amante, vere posset dici quod spiritus /X 342a/ importaret similitudinem rei amatae, et non impulsus. Igitur id quod prius.

270 Praeterea, haec est differentia inter desiderium, quod est amor concupiscentiae, et complacentiam, quae est amor amicitiae: quod desiderium est per modum cuiusdam attractus rei concupitae ad se, complacentia vero et amor[e]* amicitiae est per modum cuiusdam condonationis sui ad rem amatam. Unde patet quod per amorem concupiscentiae res attrahuntur ad amantem, sed per amorem amicitiae amans impenditur et trahitur ad amatum. Sed constat

quod in divinis est amor amicitiae, non concupiscentiae. Non igitur Spiritus erit ipsum amatum,
275 ut proveniens in amantem, sed magis e converso erit amans ut condonatur amato.

Praeterea, vulgata auctoritas Bernardi* dicit quod anima melius et verius est ubi amat quam
ubi animat, cui concordat verbum salvatoris dicentis Matthaeus 6 quod “Ubi est thesaurus tuus,
ibi et cor tuum erit.” Sed hoc non esset verum, si ex vi amoris amatum proveniret in amantem,
tunc enim anima non esset ubi amat, sed amatum semper esset, ubi anima animat, nec cor esset
280 in thesauro, sed thesaurus in corde. Ergo amoris impressio trahit affectum amantis ad rem, nec
ponit rem in amante.

Praeterea, si res amata habet esse in amante, vel est ibi per essentiam, aut per sui
similitudinem. Sed constat quod non per essentiam, cum res amatae sint extra, nec etiam per
similitudinem suam: tum quia huius oppositum alibi isti dicunt, tum quia voluntas similitudines
285 rerum conciperet, sicut et intellectus, et esset potentia formativa et conceptiva, et posset spiritus
dici verbum, et spiratio concep-/Vb 178rb/-tio, et multa alia absona quae sequuntur. Ergo
virtute amoris res amata non provenit in amantem.

Praeterea, vis amoris est transformare amantem in amatum secundum omnes loquentes;
transformare autem non est aliud quam in formam amati transire. Sed hoc non esset, si
290 similitudo rei amatae proveniret in amantem, tunc enim non transiret in amatum, nec accederet
ad formam illius, sed magis e converso forma veniret ad ipsum. Non igitur spiritus potest esse
res amata intentionaliter existens in affectum amantis.

Quod Spiritus Sanctus non emanet ut amor formaliter, contra Scotum. Tertia quoque
295 propositio est quod Spiritus Sanctus non emanat ut actus amoris, sicut nec Verbum ut intellectio
actualis, nulla enim perfectio simpliciter est perfectiori modo in Spiritu Sancto quam in Patre,
alias Spiritus esset Patre perfectior, quo nullo modo poni potest. Sed si emanaret Spiritus
Sanctus ut amor, haberet perfectiori modo hanc perfectionem simpliciter, quae est amor, quam
Pater, quod patet ex duobus. Primo quidem quia dupliciter eam haberet, quia et ratione
300 essentiae, quam consequitur omnis perfectio simpliciter, et ratione suae productionis, quia
emanaret ut amor. Secundo vero quia directiori modo eam haberet, Pater enim in quantum Pater
non est amor, /X 342b/ Spiritus autem Sanctus in quantum huiusmodi esset amor. Ergo
impossibile est quod Spiritus Sanctus emanet ut amor. Nec valet si dicatur quod amor notionalis
non est perfectio simpliciter: tum quia non ponitur bonitas notionalis nec potentia notionalis, et
305 per consequens nec amor notionalis poni debet; tum quia amor sub ratione amoris est perfectio
simpliciter, et ita notionalitas aut tollit rationem amoris aut, si eam relinquit, relinquit etiam
quod sit perfectio simpliciter; tum quia amor ille infinitus est, nullum autem infinitum potest
esse notionale secundum istos Doctores. Remanet ergo ratio sicut patet.

Praeterea, Spiritus Sanctus non est pluribus viis beatus aut directiori modo beatus quam
310 Pater. Sed si emanaret ut amor, esset directius beatus quam Pater, et pluribus viis; amor quidem
infinitus procedens a voluntate infinita divina et essentia in infinitum diligibili est amor
beatificus, immo beatitudo formalis. Emanabit ergo Spiritus Sanctus, ut quaedam beatitudo
subsistens, et erit beatus in quantum Deus per rationem deitatis sibi communicatam, et in
quantum Spiritus per propriam rationem emanationis suae, quae omnia sunt absona. Ergo
315 Spiritus Sanctus non emanat ut amor.

Praeterea, si Spiritus Sanctus emanaret ut amor esset duplex amor in divinis, unus productus
et alius improductus. Constat enim quod res producta et improducta non est eadem res. Sed
dupliciter amor in divinis poni non potest, alias una productio esset ibi bis. Ergo Spiritus
Sanctus non procedit ut amor. Et si dicatur quod Spiritus importat duo, unum absolutum, et illud
320 est amor, et aliud respectivum, et illud est productio, non valet, quia de absoluto procedit ratio
quod amor ille qui capit esse per productionem non possit esse amor essentialis, qui est a se, nec
esse capiens ab alio productive.

Praeterea, Augustinus, VII *De trinitate*, capitulo 4, dicit quod Filius in divinis non eo est
verbum quo sapientia. Sed /Vb 178va/ XV eiusdem libri *De trinitate*, capitulo 17, dicit quod ita
325 est de verbo respectu sapientiae sicut de Spiritu respectu caritatis et amoris. Ergo Spiritus
Sanctus non est amor aut charitas eo quo Spiritus est, sed eo quo Deus tantum. Non igitur
emanat ut amor.

Praeterea, eodem libro et eodem capitulo dicit Augustinus quod in illa simplici summaque natura non est aliud substantia et aliud charitas, sed substantia ipsa est charitas, sive in Patre
 330 sive in Filio sive in Spiritu Sancto. Sed hoc non esset verum si per rationem propriam Spiritus esset charitas et amor. Igitur id quod prius.

Quod Spiritus Sanctus propter similitudinem ad imaginem quae est in nobis non pertinet ad amorem, immo proprie et sine transsumptione, contra Durandum. Quarta demum
 335 propositio est quod Spiritus Sanctus non metaphorice aut transumptive pertinet ad amorem, immo maxime proprie. Exemplar enim non dicitur tale per similitudinem ad imaginem, sed magis e converso, imago talis dicitur per similitudinem ad exemplar. Sed trinitas, quae est in nobis pertinens ad imaginem, consistit in verbo pertinente ad intellectum et spiritu qui pertinet ad amorem. Ergo Verbum et Spiritus in divinis, quorum imago est in anima nostra, non
 340 pertinebunt ad rationem intellectus et amoris per similitudinem ad ista, ut sunt in nobis, immo magis e converso.

Praeterea, sicut est de paternitate respectu Patris aeterni, ita et de spiratione respectu Spiritus Sancti. Sed Apostolus, ut saepe allegatum est, docet quod omnis paternitas derivatur a paternitate patris aeterni. Et Damascenus libro primo, capitulo 10, extendit hoc ad nomen
 345 generationis et processionis, dicens quod non ex nobis translatum est ad beatam deitatem paternitatis et filiationis et processionis nomen, sed per contrarium inde traditum est nobis. Ergo nihil est dictu quod Spiritus Sanctus ex sua propria ratione non sit pertinens ad amorem et voluntatem, sed per quandam volatilem similitudinem ad imaginem quae est in nobis.

Praeterea, Augustinus dicit, XV *De trinitate*, capitulo 13, quod Spiritus Sanctus proprie
 350 charitas nuncupatur; et VII, capitulo 5, ait quod communio consubstantialis, quae est Spiritus Sanctus, si amicitia convenienter dici potest dicatur, sed aptius dicitur charitas. Sed haec non essent vera*, si Spiritus Sanctus non esset aliquid proprie pertinens ad voluntatem. Igitur id quod prius.

Praeterea, ridiculosum est dicere quod scriptura sacra et sancti Doctores attribuant Filio
 355 rationem verbi et Spiritui Sancto rationem muneris et amoris et doni solum translative et per quandam similitudinem et metaphoram. Unde et Magister *Sententiarum* ponit ista inter nomina propria, et non inter nomina translative, ut patet infra distinctione 22 [13 ! Vb]. Igitur nihil est dictu quod ista non proprie accipiantur in Deo.

Et hic secundus articulus finitur.

360

Articulus Tertius

Ubi dicitur quomodo Spiritus Sanctus emanat per propositiones affirmativas.

Circa tertium autem considerandum est quod spiritus in nobis et in Deo est aliquid pertinens ad
 365 amorem, cuius quidem veritas patere poterit ex triplici affirmativa propositione.

Quod spiritus in nobis est anima propria vi amoris egrediens ad amatum. Prima quidem quod vi amoris amantis vita seu anima impedi dicitur seu egredi intentionaliter ad amatum, /Vb
 178vb/ ita ut amans capiat esse datum et esse latum, quantum est ex voto, et intentione amoris.
 370 Haec autem propositio, etsi supra fuerit declarata questione de imagine, potest hic etiam apparere, quia sicut se habet intellectio ad formationem obiecti, sic se habet amor ad processionem, sive progressionem in obiectum, amare enim est in aliud tendere et quiescere, sicut intelligere est res alias in se ipso recipere et concipere modo spirituali. Sed sic se habet intellectio ad obiectum quod virtute actus intellectivi capit esse conspicuum et apparens /X
 375 343b/ et intentionale, ut frequenter probatum est. Ergo sic se habet amor ad vitam et spiritum amantis quod virtute ipsius capit esse procedens et egressum, ac esse datum ipsi amato.

Praeterea, quocumque impulsu necessarium est ut aliquid impellatur, et capiat esse pulsum et latum, omni namque impulsu aliquid impellitur. Sed vis amoris est quidam spiritualis impulsus; unde dicit Richardus, VI *De trinitate*, capitulo 10, proponens per modum quaestionis, quid est
 380 spiritus ille, qui de corde humano in aliis levius, in aliis vehementius spirat, in his tepidus, in illis ardentius flagrat? Et respondet quod non nisi intimus animi affectus, et aestuantis amoris impulsus. Relinquitur ergo quod vi amoris aliquid impellatur; non impellitur autem organum

exterius ad operandum, tum quia talis impulsus spiritualis est secundum Richardum: tum quia non semper sequitur exterior operatio ex vi amoris, tum quia amor semper est impulsus animae.
385 Restat ergo ut amantis anima impellatur, et capiat esse impulsum et latum, non realiter quidem, sed intentionaliter tantum, et ut sic existens proprie ventus vel flatus spiritualis appelletur.

Praeterea, transmutationes corporeae sequentes motus animae, tales sunt realiter, quales motus animae sunt intentionaliter, unde quia timor est quaedam fuga spiritualis animae concomitatur ipsum realis fuga sanguinis ad cor, et quia ira est insurrectio in vindictam,
390 concomitatur ipsam ebullitio sanguinis circa cor, sed motum amoris existentis in mente concomitatur effusio humoris sanguinei extra cor, liquescit enim, et liquorem emittit cor amantis in ordine ad amatum, et concomitatur visibilis emissio suspirii, et hiatus versus amatam rem. Ergo nihil aliud est intentionaliter amor quam quaedam spiritualis latio animae in amatum, et per consequens capit esse intentionaliter extra se.

395 Praeterea, illud appellatur in nobis spiritus per cuius identitatem aliqui dicuntur esse eiusdem spiritus, quod etiam est capax bonitatis et malitiae, sinceritatis et foeditatis. Sed ita est de illo esse, quod anima accipit per impulsum amoris, quando enim multi communicant in tali esse, utpote quia per amorem impelluntur ad idem, dicuntur habere eundem spiritum; quando vero sancto amore impelluntur, spiritus ille dicitur sanctus; et e converso de turpi amore. Ergo esse
400 illud quod capit anima per impulsum amoris, proprie spiritus appellatur, et huic consonat Richardus, VI *De trinitate*, capitulo 10, ubi dicit quod illi quidem dicuntur unum spiritum habere, uno spiritu incedere, quibus inest unum consilium, idem propositum, quod idem amant, **/Vb 179ra/** idem affectant, et pari voto desiderant; sed spiritus ille spiritualis tunc veraciter sanctus dici potest, quando pietate impellitur et secundum veritatem* movetur. Haec Richardus.
405 Unde patet quod spiritus non est aliud quam animus amore motus motione quadam spirituali et intentionaliter.

Praeterea, sicut actus intellectus pensantur secundum iudicium, sic actus voluntatis pensantur secundum votum, cuius ratio est quia actus intellectus consistit in apprehensione et iudicio, sicut actus voluntatis in quodam desiderio et voto. Unde nos dicimus quod res intellecta capit **/X**
410 **344a/** esse apparens et praesens intelligenti per intellectum, quia iudicamus ipsam esse praesentem; sed constat quod quantum est ex voto et desiderio diligentis animus eius identitatur amato, optat enim fieri unum spiritum cum amato, non quidem per hoc quod spiritus amati trahatur ad se, et induat formam amantis, sed magis optat e converso. Ergo patet quod secundum votum amantis animus eius procedit extra se, et fertur in amatum. Tale autem votum non est
415 reale aliquid; relinquatur ergo ut modo intentionaliter haec fiant.

Praeterea, omnis mens concedit quod amans amore se ipsum dat et impendit amato; sed omni dono et impensione capit aliquid quod sit datum et impensum et munus; ergo animus amantis ponitur in esse dato et muneris per amorem. Constat autem quod non realiter, igitur intentionaliter, ut dictum est saepe.

420 Colligitur itaque ex premissis quod spiritus ille secundum quem dicuntur homines conspirare, vel in eundem spiritum concordare, et secundum quem amans spirat versus amatum, iste inquam spiritus non sit ipsemet amor, qui hunc spiritum agitat et impellit, sed quod sit ipsemet animus per amorem impulsus, pulsu quodam spirituali.

425 **Quod persona Spiritus Sancti non est aliud quam Deus positus in esse dato seu impulso sive lato realiter per vim amoris.** Secunda vero propositio est quod Spiritus Sanctus non emanat ut amor, sed ut spiritus amoris; unde nihil aliud est quam Deus in esse dato sive impulso, ac lato, positus per vim in furca [similitudine X] amoris divini; illud enim quod competit omni amanti secundum rationem amoris, unde nihil omni perfectione semota,
430 attribuendum est ipsi Deo, cum in eo vere sit amor, et quicquid est de perfectione amoris. Sed declaratum est quod vi amoris amans fertur, datur, et impellitur ad amatum; et secundum hoc amans est impulsus, latus, et datus; hoc autem imperfecte fit in nobis et in omni creato fit enim intentionaliter tantum et secundum votum. Ergo hoc fiet in Deo realiter, cuius votum simpliciter impletur, et huic Richardus consonat, ubi supra, ait enim quod pietatis affectus est spiritus
435 humanus, proculdubio sanctus, sanctus enim esse incipit quando quod pietatis est diligit, quod impietatis detestatur et odit; hic sane spiritus quando spirat de multorum cordibus et facit in multis cor unum et animam unam; ad huius inquam spiritus similitudinem qui procedit, et spirat

de multorum cordibus, dictus est ille ‘Sanctus Spiritus’, qui in personarum Trinitate procedit /Vb 179rb/ ex duobus.

440 Praeterea, absurdum est dicere quin omnis conatus divinus impleatur. Sed Deus et omnis amans vi amoris conatur et fertur in amatum. Ergo ista latio realiter impletur in Deo et per consequens Deus sic realiter positus, personaliter distinguetur.

445 Praeterea, Augustinus dicit, VII *De trinitate*, capitulo 5, quod Spiritus Sanctus est quaedam unitas amborum, videlicet Patris et Filii, et est eorum sanctitas atque communio consubstantialis, et quod est vinculum quo servant unitatem Spiritus. Haec autem omnia maxime competunt Deo prout /X 344b/ positus est in tali esse lato per vim amoris, ipse enim est vinculum, communio, et unitas Spiritus quem spirant Pater et Filius, et quo mutuo se impendunt. Restat igitur ut Spiritus Sanctus procedat per hunc modum.

450 Praeterea, amor ille qui existens in nobis est similitudo amoris, qui est Spiritus Sanctus, oportet quod sit amor subsistens, nec sit accidens, sed tota mentis substantia secundum Augustinum, IX *De trinitate*, capitulo 4. Sed nullus alius amor est tota mens, et tota substantia, nisi ipsamet mens vi amoris in amatum impulsa, et posita in esse lato et dato. Ergo ipsa ut sic posita est imago Spiritus Sancti, et per consequens emanabit in divinis Spiritus isto modo.

455 Praeterea, taliter debet assignari emanatio Spiritus Sancti quod propter modum emanationis nulla perfectio duplicetur, nec sit directius in Spiritu Sancto quam in Patre aut Filio. Sed si ponitur emanare per hunc modum nulla perfectio duplicatur, aut est directius in ipso, esse enim latum seu datum nullam perfectionem importat, sed est quaedam relatio. Deus autem, qui ponitur in esse lato, non habet quod sit bonus aut iustus aut amans in quantum latus, sed tantum in quantum Deus; ergo iste modus emanationis est Deo proprius.

460

Quod huic consonant ea quae dicuntur de Spiritu Sancto. Tertia quoque propositio est quod huic consonant ea quae de Spiritu Sancto dicuntur. Primum quidem quod ipse amat, et tamen nullum spiritum spirat. Secundum vero quod ipse est amor Patris in Filium et e converso, amor quo amant creaturam. Tertium quoque quod nomen Spiritus Sancti et est sibi proprium et personale, et est commune tribus. Quartum autem quod idem est de amore et charitate, reputantur enim nomina personalia, et cum hoc communia tribus. Quintum autem est multiplex vocabulum quod sibi attribuitur, nominatur enim spiritus, spiramen, et flatus, nexus, communio, dulcor, suavitas, ignis, fons, charitas, et multa similia.

470 Primum itaque dicitur congruenter. Est enim considerandum quod vi amoris sic capit animus esse latum, quod spirare, et ponere animum in isto esse, non est formaliter amare, sed amare formaliter est isto esse sic posito uniri et copulari amato. Et secundum hoc amor habet duplicem habitudinem ad animum in tali esse positum, videlicet habitudinem ut a quo, virtute enim amoris animus sic impellitur, et habitudinem ut quo, sic impulso fit unio inter amantem et amatum. Si enim impelleretur taliter ut ab amante discederet, non propter hoc amans uniretur amato; unde necesse est, ut taliter impellatur ad amatum, quod ab a-/Vb 179va/-mante non discedat, ut quasi sit quoddam vinculum, et glutinum, seu nexus, quo duo mutuo copulantur in divinis. Itaque amor, seu vis amoris, prout aspicit Deum in esse lato positum secundum habitudinem primam quae est producere vel ponere in tali esse, communis /X 345a/ est Patri et Filio, ambo enim vi amoris ponunt in esse lato, propter quod ambo spirant. Sed vis amoris iuxta secundam habitudinem, quae est tenere spiritum, ne discedat ab eo, communis est tribus; unde omnes tres dicuntur amare se mutuo, et omnem creaturam Spiritu Sancto secundum habitudinem istam. Patet igitur quomodo Spiritus Sanctus amat, et tamen non flat, quia formalis ratio amoris consistit in secunda habitudine, non in prima.

485 Secundum etiam dicitur congruenter, non enim Spiritus Sanctus est amor formaliter, quia ille communis tribus, sed est amor copulative, in quantum est vinculum, sive nexus, quo vis amoris attingit amatum. Quando enim aliqua distant, non possunt uniri mutuo nisi unum ad aliud extendatur; animus autem amantis se toto unitur, quare oportet ut se toto extendatur. Sicut autem extenditur ut maneat in se ipso, propter quod ut habet esse extensum ad amatum est quasi quoddam vinculum medians et copulans inter distincta. Vis ergo amoris non dicitur unire ultimate, et complete, nisi quatenus vinculum illud emanans mediat inter amantem et amatum, et hoc modo Spiritus Sanctus dicitur amor Patris in Filium, non quia sit actus amoris sed vinculum amoris.

Tertium insuper dicitur congruenter, est enim considerandum quod spiritus quandoque dicitur a subtilitate, et hoc modo aer dicitur spiritus, et caeli ratione subtilitatis appellantur
 495 spiritualia corpora a Commentatore in tractatu *De substantia orbis*, et secundum istam intentionem dicit Apostolus prima ad Corinthios 15 quod surget corpus nostrum spirituale, quod pro nunc est animale. Quandoque vero sumitur a mobilitate, et secundum hoc anima, quae est principium sensus et motus, spiritus appellatur, et similiter etiam vapor mobilis et subtilis dicitur spiritus, de vento enim ad litteram intelligitur illud Ioannis 3: Spiritus ubi vult spirat.
 500 Quandoque vero dicitur spiritus ab incorporeitate omnimoda, et sic angeli et animae rationales spiritus appellantur, demum spiritus dicitur animus vi amoris impulsus, cuius signum est suspirium sensibile, animus enim sic latus dicitur spiritus, quia impulsus, et motus per modum cuiusdam venti et flatus. Prout ergo spiritus dicitur a subtilitate et vitalitate et incorporeitate, sic esse Spiritum Sanctum est commune tribus divinis personis, prout vero sumitur quarto modo
 505 pro flatu amoris qui non est aliud quam animus vi amoris procedens, sic est proprium personae tertiae in divinis, quod sit Spiritus Sanctus; additur quippe sanctus ad differentiam spiritus infecti, sive maligni, quales sunt spiritus in hominibus amore infecto aut odio agitatis.

Quartum quoque dicitur congruenter, nam amor et caritas sunt quid commune tribus, ut referuntur ad actum amoris, prout vero referuntur ad Deum positum in quodam esse lato et dato,
 510 qui quidem sic positus habet rationem nexus et vinculi, ut supra dictum est, sic proprium est Spiritus Sancti quod sit amor et charitas. /Vb 179vb/

Quintum denique usitatur convenienter in divinis scripturis, amor nempe est quaedam vis, per quam amans ad amatum impellitur, propter quod amans impulsus dicitur flatus, flamen, et
 /X 345b/ spiramen, et similia. Unde haec proprie dicuntur de Spiritu Sancto, est enim sacrum
 515 flamen, et sacrum spiramen; amans etiam vi amoris impenditur ad amatum, propter quod sic impensus, dicitur munus et donum, unde proprie Spiritus Sanctus dicitur liberalitas, et donum ac munus aeternum; amans quoque fervescit respectu amati, et ideo Spiritus Sanctus proprie dicitur spiritus ardoris et ignis et charitas; amans etiam liquescit respectu amati, unde Spiritus Sanctus proprie dicitur dulcor, benignitas, suavitas, consolatio, sive paraclitus, et similia; amans etiam vi
 520 amoris unitur et conglutinatur amato, unde Spiritus Sanctus proprie dicitur nexus, communio, unitas, vinculum pacis, et similia; amor autem ille, qui in divinis est sincerissimus, est et sanctus, propter quod Spiritus Sanctus proprie dicitur sanctitas, et munditia, et similia; amor denique, et donatio, spiritus amorosi est id quo dato omnia dantur, et ideo Spiritus Sanctus dicitur fons vivus omnium bonorum, et bonitas, et clementia, et digitus Dei, et munere
 525 septiformis, et similia multa.

Ex quo igitur omnia consonant isti modo emanationis, incunctanter tenendum est quod Spiritus Sanctus procedit, non sicut amor, sed sicut flatus et flamma amoris, quia sicut Deus vi amoris positus in esse quodam realiter lato et dato, sicut amantis animus intentionaliter et diminute habet ferri in nobis.

530 Et in hoc articulus tertius terminetur.

Articulus Quartus

Quomodo Spiritus Sanctus se habet ad voluntatem. Opinio Durandi et quorundam aliorum. Circa quartum autem considerandum quod aliqui dicere voluerunt quod Spiritus
 535 Sanctus non producitur mediante voluntate in divinis, nec aliquo modo productio ista pertinet ad voluntatem, sed quod divina essentia mere, nude sub ratione naturae divinae est principium productionis Filii et Spiritus Sancti, quod patet ex duobus.

Primo quidem quia intellectus et voluntas se habent ad opposita. Productiones autem in divinis sunt determinatae ad unum. Non sunt ergo huiusmodi* productiones divinae ab
 540 intellectu seu voluntate, sed immediate a natura.

Secundo vero, quia si perfectio aliqua simpliciter, puta intellectus vel voluntas, esset ratio producendi aliquam divinam personam, tunc non esset in illa persona nisi unica perfectio simpliciter, puta illa quae esset ratio producendi; non enim per eam possent communicari aliae, cum nec formaliter nec virtualiter containerentur* in ea.

545

Opinio Scoti. Dixerunt vero alii quod in divina essentia sunt duo principia, intellectus scilicet et voluntas, quae, quia in Deo infinita sunt, producunt aliquid infinitum, et per consequens Deum,

quia solus Deus est infinitus, et Deum /X 346a/ subsistentem, quia Deus accidens esse non potest aut aliquid inhaerens; et ita producunt verissimas personas. Sic igitur voluntas per
 550 rationem praecisam voluntatis assistentem infinitate, non tamquam alia ratione, aut attributo, sed tamquam gradu intrinseco voluntatis, est sufficiens principium productivum Spiritus Sancti. Nec motiva precedentium cogunt /Vb 180ra/ secundum istos, quia intellectus et voluntas respectu quorundam obiectorum sunt determinata ad unum, ut respectu summe intelligibilis et summe diligibilis, perfectiones etiam omnes sunt unum et idem realiter in divinis ratione
 555 infinitatis; propter quod producens infinitum amorem, simul producet et communicabit omnem perfectionem, quia infinitus amor non est aliquid aliud quam Deus.

Opinio Henrici. Dixerunt autem alii quod voluntas simul cum natura sunt unum formale principium personae Spiritus Sancti; imaginabantur namque isti quod sola voluntas non esset
 560 sufficiens principium communicandi divinam naturam et omnem perfectionem aliam nisi coassisteret et natura.

Quid dicendum secundum veritatem. Sed istae opiniones supponunt unum a veritate devians, et ob hoc non est mirum si in varia et devia disperguntur. Supponunt quidem quod spirare sit
 565 aliquid elicited, et quod potentia spirativa sit potentia productiva et elicited spirationis, et tunc quaerunt de ista potentia, an sit natura vel voluntas, vel utrumque simul. Illud autem non esse verum supra ostensum est, cum ageretur de potentia generandi, et potest hoc ulterius declarari quantum ad ipsum spirare. Si enim spirare esset aliquid elicited, tunc Pater et Filius aliquid elicerent in se ipsis, puta ipsum spirare; aut ergo sic elicerent in se ipsis, quod illud elicited
 570 esset in eis subiective, aut identice, et ut idem realiter. Sed horum neutrum dari potest. Primum siquidem non: quia tunc in Patre et Filio esset aliqua realitas accidentaliter et compositio, quod est omnino absonum. Secundum etiam multo minus possibile, tunc enim eadem res eliceret se, si Pater et Filius elicerent spirare, cum quo sunt idem realiter. Igitur illud dari non potest.

Praeterea, ita est de potentia spirativa active sumpta ex parte Patris et Filii, sicut de ea
 575 passive sumpta ex parte Spiritus Sancti. Sed ex parte Spiritus Sancti posse spirari non est aliud quam necessitas, sicut Deum posse esse Deum, vel sicut diametrum posse non commensurari. Ergo potentia spirativa non est aliquod principium productivum, sed est quaedam necessitas activae spirationis.

Sic igitur patet ex his et ex illis, quae alias inducta sunt, quod vanum est inquirere an
 580 voluntas vel natura vel utrumque simul sint principium spirationis, cum spiratio sit res <penitus> [ponitus Vb] inelicitae, nec esse capiens aliunde, sicut nec essentia, vel generare capit.

Et si dicatur quod secundum hoc erunt tres res improductae, scilicet essentia, spirare, et generare, /X 346b/ dicendum est quod non ponunt ad invicem in numerum, unde non sunt tres, secundum quod superius extitit declaratum.

Est autem considerandum quod Spiritus Sanctus et eius productio, quamvis non sit a
 585 voluntate tamquam a principio productivo, nihilominus est aliquid pertinens ad amorem, et per consequens ad voluntatem, non quidem potentiam, quia in Deo non est voluntas potentia, sed est purum amare subsistens, sicut supra dicebatur de intellectu. Deitas itaque, cum sit quoddam amare subsistens, habet vim amoris; est autem haec vis ut per eam amans spiritualiter procedat; propter quod in divinis est verissimum spirare, et verissimus spiritus pertinens ad amorem, nec
 590 illud spirare elicited ab amo-/Vb 180rb/-re, sed est actio indistincta ab absoluto amoris, sicut supra dicebatur de ipso dicere et absoluto intellectionis.

Et in hoc articulus quartus finitur.

595 **Articulus Quintus**

Quomodo se habet Spiritus Sanctus ad libertatem. Opiniones diversorum. Circa quintum autem considerandum quod aliqui voluerunt quod Spiritus Sanctus libere non procedit, quia necessitas non stat simul cum libertate, Spiritus autem Sanctus procedit necessitate naturae. Unde dixerunt quod voluntas ut deliberativa est libera, sed ut natura non est libera; Spiritus
 600 autem Sanctus procedit a voluntate ut natura, non ut deliberativa.

Sed hoc stare non potest, quia Spiritus Sanctus procedit ut donum et ut liberalitas et ut munus, et est eadem proprietas qua est donum et qua est spiritus, ut Augustinus dicit, V *De*

trinitate, capitulo 14. Sed constat quod de ratione doni et muneris est quod libere emanet. Ergo Spiritus Sanctus liberrime emanat.

605 Praeterea, declaratum est supra quod Spiritus Sanctus appellatur liberalitas et clementia. Sed de ratione istorum est quod sint libera. Igitur id quod prius.

Praeterea, dictum est etiam quod emanat ex vi amoris. Quicquid autem amore fit, libere fieri dicitur. Igitur id quod prius.

Et ob hoc dicunt alii quod libertas et necessitas simul stant in productione Spiritus Sancti. 610 Addunt tamen quod necessitas quaedam est actum volendi praeveniens, et quasi compellens, et illa tollit libertatem; alia vero est concomitans, et illa non tollit. Et est exemplum ad hoc de praedestinatione Sanctorum, quae libera est, pro eo quod voluntas divina non praevenitur aliqua necessitate, quamvis postquam praedestinavit concomitetur necessitas immutabilitatis. Consimiliter in proposito Spiritus Sanctus emanat libere et necessario, non necessitate 615 praeveniente, sed concomitante.

Sed hoc stare non potest, constat enim quod Spiritus Sanctus est necesse esse simpliciter, non solum ex conditione. Necessitas autem concomitans est necessitas conditionata, postquam scilicet voluntas exivit in actum. Ergo necessitas concomitans non est in emanatione Spiritus Sancti, immo simplex et absoluta. /X 347a/

620 Propterea dixerunt alii quod necessitas et libertas simul stant, quia necessitas duplex est, quaedam naturalis et quaedam voluntaria, et differunt istae necessitates se ipsis secundum istos. Ergo Spiritus Sanctus emanat libere, et tamen de necessitate.

Sed quomodo hoc sit possibile secundum sic ponentes, qui concedunt quod ratio libertatis consistit in posse in actum et suspensionem actus, non bene apparet. Ex quo enim Spiritus 625 Sancti productio suspendi non potest, non apparet quomodo sit libera, nec etiam quomodo simul stent necessitas et libertas.

Quid dicendum secundum veritatem. Et idcirco dicendum est quod Spiritus Sanctus non dicitur libere emanare propter habitudinem productivi principii ad ipsam spirationem, sicut 630 imaginati sunt positores praedicti, nec libertas consistit in posse actum elicere. Sed, sicut superius extitit declaratum, actus amoris et complacentiae est essentialiter liber, et quod agitur ex amore et complacenter, dicitur libere agi. Esto etiam quod immutabiliter id agatur; possibile est enim in tantum intendi complacentiam ut non valeat quis non complacere, et de tali constat quod liberrime complacet, quanto enim aliquid delectabilius /Vb 180va/ et complacentius fit, 635 liberius fit. Cum ergo Spiritus Sanctus emanet vi amoris et complacentiae, manifeste convincitur quod emanat ut quaedam liberalitas, et tamen immutabiliter, quia immutabilis est ille amor. Stant ergo simul necessitas et libertas in eo.

Et in hoc quintus articulus terminatur.

640 **Responsio ad primo obiecta**

Ad ea ergo quae superius primitus inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod nec in divinis Verbum est declarativa notitia aut aliqua intellectio actualis, nec Spiritus est zelativa aut 645 incentiva complacentia, sed Verbum est Deus positus in esse relucenti et apparenti quadam reali relucentia, et Spiritus est Deus positus in esse flato, et procedenti ad amatum quadam realissima latione.

Ad secundum dicendum quod illi duo amores, quorum unus est tepidus et alius incentivus, reperiuntur in nobis ex quadam imperfectione, quia tepor sonat in quandam debilitatem amoris, propter quod non debet transferri ad divina.

Ad tertium dicendum quod Spiritus Sanctus dicitur ignis, ardor, et flamma, non quia sit amor 650 zelativus, sed quia emanat vi amoris, ut Deus positus in esse procedenti et quasi lato per amorem.

Ad quartum dicendum quod in divinis est amor infinitus, nec oportet ponere alium amorem quo personae se diligant ab amore quo diligunt essentiam aut creaturam.

Et si dicatur quod Richardus, V *De trinitate*, capitulo 17 et deinceps, dicit quod in Patre est 655 amor mere gratuitus, quia nulli obligatur; in Spiritu autem Sancto est amor debitus, quia obligatur Patri et Filio, nec est gratuitus, quia nullam personam producit, cui gratuite se communicet; in Filio vero est amor mixtus, quia respectu Patris a quo procedit, habet amorem

debitum, respectu autem /X 347b/ Spiritus Sancti, cui deitatem communicat habet gratuitum amorem. Et sic videtur quod in personis sint amores alterius rationis. Dicendum quod ipse, capitulo 22, ostendit quod quantum ad substantiam amoris, non est aliqua diversitas in amore Patris et Filii et Spiritus Sancti, sed illud notat diversam habitudinem originis; ac si diceretur quod in Patre est amor a se, et per consequens gratuitus, in Filio vero est amor a Patre, et per consequens debitus, hoc est ab alio, et ita de Spiritu Sancto.

Ad quintum dicendum quod amor essentialis non est tepidus, immo efficax, propter quod movet sufficienter ad productionem creaturarum. Nec est simile de artifice, cuius volitiones possunt esse imperfectae, quomodo autem productio creaturarum ad emanationem personarum se habeat, locum habebit in secundo.

Ad secundo obiecta

Ad ea vero quae secundo inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod impressio rei amatae, quae provenit in affectum amantis, non est spiritus, sed amor ipse formalis, virtute cuius impellitur amantis animus, et inclinatur ad amatum, propter quod impulsus animus est vere spiritus.

Ad secundum dicendum quod res dicuntur esse in anima appetitiva, non quia amatum sit in amante primo, sed magis e converso, propter hoc enim quod amans intimat se amato, convertitur quod amatum est in amante. Vel dicendum quod loquitur Commentator /Vb 180vb/ de anima concupiscibili, quae non condonat concupito, sed quodam modo desiderat ipsum et attrahit, non loquitur autem de amore liberali, quo impenditur animus amantis.

Ad tertium dicendum quod voluntas nullo modo est formativa obiecti, nec per eam ponitur res in esse formato, sed per actum eius amans movetur ad obiectum.

Ad quartum dicendum quod amor assimilat, non quia attrahat similitudinem rei ad se, sed quia nititur in dilectum transire, et identitare amantem cum amato.

Ad tertio obiecta

Ad ea vero quae tertio inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod nec Verbum e<s>t* formaliter intellectio nec Spiritus Sanctus amor nisi in quantum intellectio sumitur pro notitia obiectiva et amor pro animo posito in esse procedenti ad amatum, qui quidem animus sic procedens et quodam modo latus dicitur nexus et vinculum unitivum.

Et per idem patet ad secundum, nam Augustinus et Anselmus et Richardus et ceteri sancti doctores sic amorem accipiunt pro vinculo amoroso, sive pro flatu qui profluit vi amoris, ut declaratum est in corpore quaestionis.

Ad tertium dicendum quod supponit falsum in duobus. Primo quidem quia imaginatur spirare esse actum elicitem. Et secundo quia ponit in Deo voluntatem, potentiam, et ideo non est verum tertium, quod infertur quod Spiritus Sanctus sit formaliter actus amoris. /X 348a/

695

Responsio ad obiecta in oppositum

Ad ea vero quae in oppositum inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod non est verum, spirationem Spiritus Sancti competere divinae naturae excluso amore, immo est contradictio, cum spirare sit una vis amoris; non tamen oportet praeintelligere amorem ipsi spirationi, absolutum enim amoris habet animum impellere et ponere in esse <procedenti> [producenti Vb]; et secundum hoc induit rationem spirationis, et habet per animum sic impulsivum, qui non discedit ab amore coniungere cum amato, et secundum hoc induit rationem amoris; unde eadem res ut impulsiva dicitur spiratio, ut unitiva dicitur amor. Nec est verum quod ex infinitate habeat divina natura quod spiret, sed quatenus infinita vis amoris, ut dictum est.

Ad secundum dicendum quod amor, sub sua formali ratione, non est actus productivus, habet enim rationem amoris, non in quantum est vis impulsiva, ponens in esse procedenti, sed in quantum per huiusmodi* processum est vis unitiva; hae autem habitudines sunt diversae, ut dictum est in corpore quaestionis. Et adhuc patet ex duobus. Primo quidem quia vis impulsiva separaretur ab unitiva, si quod impellitur, discederet ab impellente. Secundo vero, quia vis unitiva separaretur ab impulsiva, si illud esse impulsivum et procedens non esset ab /X 348b/ aliquo impellente, sed improproductum et a se, aut si esset ab alia re, quam ab absoluto amoris;

705

licet igitur res amoris et sit impulsiva et unitiva, nihilominus una vis non est alia, immo sunt
715 duae habitudines, et secunda sufficit ad formalem rationem amoris; unde decipiuntur qui
innituntur illi propositioni de operationibus immansivis, nec transeuntibus, amor enim sub
ratione amoris /Vb 181ra/ non est actio productiva, quamvis sub ratione spirationis sit quaedam
vis impulsiva secundum omnes loquentes.

Ad tertium dicendum quod aequivocat de generatione, quamvis enim generatio hominis ab
720 homine non fiat elicitive ab intellectu et voluntate, generatio tamen verbi et exsufflatio spiritus
fit ab intellectu et voluntate, non in quantum potentiae sunt, sed quatenus sub actibus sunt.
Propter quod in divinis, ubi est intelligere absque intellectiva potentia et amare absque potentia
volitiva (est enim Deus intelligere quoddam et amare subsistens), ibi erit vera Verbi productio et
Spiritus processio eo modo quo dictum est.

Ad ultimum dicendum quod evidens falsum et absurdum assumit, et contra determinationem
725 Apostoli et Damasceni, quod in divinis non sit vera ratio Verbi et Spiritus, sed tantum
translative et in comparatione ad imaginem existentem in anima nostra; dicendum est enim
quod immo propriissime sunt ista in Deo et ex ipsis transferuntur ad nos secundum
Damascenum. /X 348a/